



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

12 Quæ solemnitas publicationis requiratur in lege canonica?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

plicandus est, & limitandus: nam vt eruditè probat Menochius lib. 6. præsumpt. 1. rubrica per leges scriptas, quæ claræ sunt, & distinctè explicanda est, & limitanda.

Adde rubricam non disponere tanquam legem, nec posse pro textu allegari, sed est index legis, & demonstrat, quæ in textu habentur, vt ex Decio & Alciato probat Menoch, ibi: Ergo etiam si generalis fuerit, non obligabit generaliter, cum textus ad particulares leges actetur.

Verum tenenda est communis sententia affirmans ex huiusmodi præfatione, seu rubrica iuncto textu omnes leges Imperatoris latas pro diuersis prouincijs esse in qualibet illarum publicandas, vt in qualibet obligent. & duos menses prætereundos esse vt incipient obligare. Moucor, quia ita tenet communis sententia, affirmans textum infra scriptum appositum esse non ad limitandam rubricam, sed exempli gratia, quod inde colligitur, tum quia rubrica habet sensum perfectum, tum quia est fauorabilis dispositio, & non contraria textui. Ergo. Adde, omnes leges tam vicinarum voluntatum, quam aliarum rerum requirunt, si pro diuersis prouincijs ferantur, terminum duorum mensium, vt obligent; quia ita in alia Authent. statutum est quod declarauit Pius I. V. in bulla edita pro obseruando Concilio Tridentino, quæ incipit sic: & sacrorum: vbi mentionem faciens huius authenticæ dixit iure communi statutum esse, vt constitutiones nouæ non nisi post certum tempus obtineant. Ergo non obstat locutio particularis de legibus vicinarum voluntatum, vt doctrina generaliter de omnibus legibus iuxta rubricam intelligatur.

4 Limitant autem supradicti Doctores, Suarez, Salas Bonac. Nauar. Valent. Menoch. de arbit. lib. 2. casu 18, numer. 2 & alii nisi legislator, qui legibus Imperatoris subiectus non est manifestet voluntatem obligandi ex sola vna publicatione in curia facta. Nam cum iure natura, illa sufficiens sit ad obligationem subditis inducendam poterit legislator illa sola contentus esse, cum leges imperatorias non teneatur obseruare. Semper tamen necessarium est vt legislator tempus concedat sufficiens vt in totius communitatis notitiam lex deuenire possit; alias communitatem non obligabit.

5 Ex quo oritur, difficultas an lex lata à Principe intendente statim ac illam in curia promulget, omnes sibi subditos obligare, de facto fortitatur effectum, & subditos obliget.

Affirmat communis sententia cum Panormi, Felin. Decio, & alijs in c. 2. de constitut. Salas disp. 12. de leg. sed. 2. Suar. lib. 3. c. 16 sine. n. 14. Bonac. disp. 1. q. 1. p. 4. n. 16.

Probatur, quia lex constituitur in suo esse integro, quando promulgatur; sed lex esse non potest sine obligatione, qui est eius effectus. Ergo. Et confirmo, si esset lex irritatoria contractuum, & vellet Princeps à puncto publicationis omnes contractus irritare, sine dubio manerent irriti, quantumvis contraheentes notitiam legis habere non possent. Ergo signum est promulgatione solemniter sufficienter legem constitui.

Ex quo inferunt Salas disp. 12. de legib. sed. 9. num. 34. Bonac. disp. 1. q. 2. punct. 4. num. 28. & 19. si facta promulgatione solemniter statim aliquis subditus in remotissimis partibus existens, miraculose notitiam legis haberet, obligatus esset illam seruare quia adest quicquid ad obligationem inducendam necessarium esse videtur, scilicet legem esse publicatam solemniter, & notitiam illius. Ergo publicatione solemniter sufficienter lex constituitur.

6 Suarez lib. 3. cap. 17. num. 17. distinctione vitur; affirmat namque legem publicatam in loco debito, nullamque habentem temporis determinationem, ex voluntate Principis statim incipere obligare eos, qui illius habent seu habere possunt notitiam, in quo cum communi sententia conuenit illos veto, ad quorum notitiam deuenire tunc non potest, sed necessarium est aliquod tempus, in ea illud tempus, quod moraliter necessarium fuerit, affirmat obligare: pro quo modo dicendi adducit Nauar. consil. 1. constitut. quest. 4. in respons. ad 4. obiectiorem, Panormi. & Felin. in supra dicto cap. 2. de constitut. num. 7. & 8. & Batt. in l. omnes populi. ff. de iuris. & iure. quest. 5. D. Thom. 1. 2. quest. 10. arr. 4 & ibi Caietan prioram partem huius sententiæ probat Suar. fundamento pro communi sententia allegato & quia potius censetur lex pro vno populo publicata, quam pro tota prouincia. Secundam partem probat ex c. 1. de cõces. præb. in 6. vers. neque obstat: vbi dicitur, lex seu constitutio, & mandata nullo astringunt, nisi postquam ad notitiam peruenierint eorumdem, aut ipsi post tempus infra quod ignorare minime debuissent. Ex quo inferitur, Ergo lex non obligat, nisi post sufficientem tempus elapsum, in ea quod moraliter sciri possent: nam illud est in quo ignorare minime debuissent. Secundo probati potest quia impossibile est notitiam publicationis ad remotas partes eodem die peruenire. Ergo illa publicatio non est sufficiens, vt lex eo die quo est publicata obliget existentes in illis remotis partibus probo consequentiam; quia ad obligationem inducendam necessaria est notitia legis: sed lex Martini v. g. publicata, non potest illo die causare notitiam sui existentibus Hispani. Ergo non potest Hispanenses obligare eo die, debet ergo concedi tempus moraliter necessarium, vt lex in notitiam subditorum, vel per se, vel per alios possit peruenire. Quocirca

promulgatio legis, et si videatur in instanti fieri & coram paucis personis ac re vera non fit in instanti, sed successiuo tempore toto enim tempore, quod necessarium est vt illa promulgatio ad notitiam totius communitatis obligare ad legem deueniat, vere proprie lex promulgata dicitur, neque ante hoc tempus conici debet in re promulgata. Ex hac doctrina inferi Suar. cap. 17. nu. 14. si legis publicatio in notitiam absentis deueniat miraculoso modo, cum tamen humano modo venire fuerit impossibilis, nullo modo obligare ad illius obseruationem, quia respectu illius non est lex publicata.

7 Placet mihi hæc sententia Suarez quoad secundam partem ob rationes factas: circa primam addendam existimo, nunquam legem obligare posse aliquos quin eius publicatio in notitiam communis, quæ actari possit lege, deueniat; Explico, promulgatur Martini aliqua lex pro toto Castellæ regno; eius publicatio quæ in foro fit non potest simul, & in eadem hora per totum regnum diffundi, imo neque per totam ciuitatem, vt de se constat. Quousque igitur elabatur tempus, vt per totam ciuitatem diffundi possit, neminem illius ciuitatis actari etiam si publicationi præsens existerit. Probo quia lex prius actat communitatem, quàm singulos illius; singuli enim communitatis in tantum actantur lege, in quantum partes sunt communitatis lege obligatæ hæc enim est vna ex differentiis legis à præcepto, quod præceptum respicit singulos, quia in bonum ipsorum ordinatum est: lex vero communitatem: quia in ipsius bonum primo, & per se ordinata est sed ad maioris partis ciuitatis notitiam non potuit lex deuenire in eodem puncto, & momento quo in foro publicatur, Ergo singuli illius ciuitatis non actantur quousque tota ciuitatis actetur, & que de causa stylus communis legislatoris est cum intendit legis suis obligare prius præsentibus quam absentibus apponere terminum competentem, intra quem moraliter in omnium notitiam lex deuenire potest.

8 Dices, cum Rex Hispaniæ fert legem pro toto Castellæ regno illamque Martini promulget neque declarat se velle prius obligare curiales quam absentes non videntur curiales obligati esse, quousque totum regnum obligatum esse censetur quia curiales non obligantur; quatenus sunt partes curiæ sed quatenus partes sunt totius regni liquidem pro toto regno lex fertur. Ergo prius debet esse regnum obligatum.

Fateor ex natura rei hoc esse dicendum. At si princeps legis renore significet se velle subditos quam primum possit obligare, cum possit propinquare ciuitatem, prius quam remotam obligare, tacite innuit se ita velle, ac proinde prius curiales quam absentes lege illa obligantur; & ita docet Suar. lib. 3. cap. 17. num. 10.

9 Restat satisfacere argumentis pro communi sententia.

Ad primum dico, legem publicatione solemniter constitui: ac regulariter hæc publicatio, etsi physice in vna hora finiatur non tamen moraliter, & modo necessitate, vt in notitiam totius communitatis deueniat ad hoc enim necessaria est temporis prolongatio: in quo tempore possit lex per præsentibus in absentium notitiam deuenire, ac proinde communitatem, quæ lege actari possit.

Ad secundum dico facta publicatione optimè posse legem irritare contractus, & taxam mercibus constitucere, etiam si obligationem cuius non inducat, quousque eam scire possint quia effectus irritationis & taxæ mercium procedit à Principe, non ex potestate legi statuta sed determinata, quæ non indiget ad sui integritatem notitia subditorum colligitur à simili ex his quæ tradit Suar. lib. 1. de legib. c. 17. n. 11. & docet expressè Nauar. sum. c. 23. n. 44. Azor tom. lib. 5. c. 3. q. 9. Ex quo fit ignorantem legem taxantem pretium mercibus si eas vendat altiori pretio quam sunt taxatæ obligatum esse restituere non quia peccauit sed quia accepit quæ sibi non debebantur sic Bonac. disp. 1. de legib. q. 1. p. 4. n. 22.

PUNCTUM XII.

Quæ solemnitas publicationis requiritur in lege canonica.

- 1 Proposuit prima sententia eandem seruari debere, quæ in ciuilibus legibus, nisi expresse aliud constet statuere Pontificem.
- 2 Sufficit publicatio Roma facta, ac certum defenditur.
- 3 An lex Roma publicata statim Romanos obliget, vel post duos menses; defenditur ac probabilis statim obligare.
- 4 Qualiter lex municipalis statim subditos obligare potest, & qualiter constitutio principis, si id vult.
- 5 Satis argum. 1. adducit.
- 6 An lex obliget ignorantes.

1 Prima sententia docet seruandam esse eandem solemnitatem, quæ inciuilibus legibus iure communi seruandam esse diximus: scilicet, si leges sint pro diuersis prouincijs, hoc

hoc est, Episcopatus in quolibet esse publicandas, & non obligare, nisi post duos menses a publicatione nisi aliud expresse Summus Pontifex declaret, sic docet Soto lib. 1. de iustit. q. 1. art. 4. vers. ad verbum. Nauarr. in suum. cap. 23. n. 44. quæst. 1. art. 4. vers. sed queritur. Panorm. in 2. q. 1. Medina 12. quæst. 90. art. 4. vers. ad finem. Decius lect. 2. n. 6. cognoscens, de constitut. num. 7. ad finem. Anton. Butrio, Imola, Ioan. Liguani, Cardinalis Zabarella in supradicto cap. cognoscens, n. 4. q. 6. & alij apud Farinac. fragm. 1. part. verbo constitutio, n. 656. vbi hanc sententiam tenent probabilem: Mouentur, quia vbi ius canonicum nihil disponit, ferendum est civile, si bonis moribus non repugnet cap. 1. de noui operis nuntiatione, vbi dicitur: Sicut leges non designantur sacros canones imitari: ita sacrorum canonum statuta constitutionibus Principum adiunguntur, & in cap. si in adiutorium, dist. 10. dicit Augustinus, si in adiutorium vestram etiam terreni imperij leges adiungendas putatis, non reprehendimus, fecit hoc Paulus, cum aduersus iniuriosos ciuem Romanum se esse cecitatus est: vbi glossa dicit, non sunt alleganda leges civiles, & in causis Ecclesiasticis recipienda, nisi in defectum canonum. Ergo cum canones tempus obligationis legis non determinent, & id determinent leges civiles, ex hatum determinatione colligenda est determinatio temporis in obligatione legum Ecclesiasticarum. Ad le huiusmodi determinationem conuenientissimum esse, tum vt obligari legum ignorantiam a lege non possint: tum vt facilius, & suauiori modo lex Ecclesiastica obligationem inducat. Secundo, cap. cum infirmitas, de penit. & remiss. dicitur, lege Medicos non teneri, nisi postquam eam Prælati promulgauerint. Ergo promulgatio Prælati requiritur, vt in sua diocesi lex habeat vim obligandi. Tercio, quia nimis durum est facta publicatione in Romana Curia alicuius decreti, statim omnes Christi fideles per orbem dispersos obligari ad illius obseruationem.

4. Nihilominus certa, & omnino tenenda sententia est, sufficere publicationem Romæ factam, vt lex Pontificia omnes Christi fideles adstringat, nec opus esse in singulis Episcopatus publicari, nisi aliter in ipsa Bulla habeatur. Panormitanus in cap. neuerit, de feniens. excommun. Nauarr. consil. 1. de constitut. n. 19. & Syluest. verbo lex, quæst. 6. Suarez lib. 4. de legibus, cap. 1. n. 3. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 3. quæst. 3. circa medium. Salas disp. 1. sect. 2. n. 10. Valquez disp. 1. § 6. cap. 2. Menoch. lib. 2. casu 185. num. 8. Farinac. supra, num. 653. Bonacina disp. 1. quæst. punct. 4. num. 16. & alij plures ab eisdem relati.

Ratio præcipua est, quia Pontifex non tenetur seruare modum publicationis iuris ciuilibus in suis decretis, quia eius legibus non arctatur; neque Authentica, vt facta noua constitutiones, inuenitur se acceptasse. Ergo quousque suam constitutionem Romæ promulgat, neque mandat alibi publicari, sed potius illa promulgatione contentus est, intendit Christi fideles obligare. Ergo de facto obligabuntur; quia adest quicquid necessarium est ad legem. Et confirmo, quia plura decreta iuris canonici, Decreti, Decretalium, Sexti Clementinarum, Extrauagantium, Concilij Tridentini, non sunt in multis prouincijs, promulgata. Item Bulla Cene Romæ tantum tolerari publicari, & tamen arctat omnes Christi fideles. Item regulæ Cancellariæ Romæ publicantur, & secundum illas causæ ex toto orbe deciduntur, quod iustum non esset, si illæ leges non obligarent. Ergo non est necessaria publicatio in quolibet prouincia ad obligationem legis Pontificiæ inducendam. Quod ita verum est, vt censet Azor supra relatus contrariam sententiam probabilitate carere. Nam Soto, & alij Doctores affirmant decreta Pontificis in quolibet Episcopatu publicanda esse, mouentur ex præsumptione, quia præsumunt Pontificem non aliter velle obligare. At hæc præsumptio omnino cessat ex vi, & consuetudine satis recepta. Ergo.

3. Maior dubitatio est, an Romæ publicata lex, quæ nullum tempus determinat. incipiat statim obligare Romanos, & vicinos illius? An necessaria sit præteritio duorum mensium ad eius obligationem?

Probabilis, imò certum existimo, statim obligare: sic Azor, Salas, Valquez, Bonacina, Suarez supra Farinacius plures referens 1. part. fragment. verbo constitutio, num. 663. aduersus Nauarr. cap. 23. n. 44. Valent. disp. 7. quæst. 5. punct. 1. Reginald. lib. 13. num. 152. Menoch. de arbit. lib. 2. casu 185. num. 19. & alios relatos a Farinac. supra, negantes obligare saltem in foro conscientie, sed ad summum in foro externo. Ratio nostræ conclusionis est eadem, quia Pontifex in modo ferendi legem suam, & obligationem inducendi, non acceptauit Authenticam illam, quod tenet ex superiori puncto, vbi probamus non acceptasse illam quoad publicationem faciendam in quolibet prouincia. Ergo neque acceptauit quoad terminum duorum mensium in illa assignatum, quia non est, vnde hæc acceptatio obliigi possit: præcipue cum sæpe in Bullis Pontificum non expectetur ad obligationem inducendam spatium duorum mensium, vt in Bulla Cene, & alijs, & supponitur in cap. cum singula, de prebend. in 6. vbi dicitur, circa eos autem, qui plures prouincias, vel Ecclesias huiusmodi nunc detinent, prouidemus, vt infra mensium, postquam presens constitutio peruenierit ad eos-

dem, unum ex ipsis, quem retinere voluerint, reliquis dimissis eligere teneantur, alioquin ex tunc penes subiacent supradictis, vbi gloss. verbo peruenit, inquit, si peruenit ante duos menses, tempore publicationis, statim incipit eis tempus currere. Aliquando vero ultra duos menses spatium protogatur, vt in Bulla Pij IV. de euagatione Concilij Tridentini, vbi trium mensium spatium assignauit. Item, quia Authentica illa spatium duorum mensium requirebat ad legis obligationem inducendam in quolibet prouincia, quia illud erat sufficiens, vt in omnium notitiam lex illa deueniret: at hoc spatium nullo modo est sufficiens regulariter, vt lex lata Romæ, & ibi tantum publicata; in notitiam veniat Hispanorum, & Indorum. Ergo per se ad obligationem inducendam spatium duorum mensium non requiritur, sed pro distantia prouinciæ extendi vel coarctari tempus debet. Denique Nauarr. & alij affirmant, si Romani transgrediantur constitutionem Pontificiam ibi publicatam, & non habentem determinatum tempus ad obligationem, condemnari, & puniri in foro iudiciali, vt transgressores illius, etiam si duo menses non præterierint. Ergo signum est obligatos esse ad illius obseruationem, cum primum publicatur, alijs inique punirentur, cum nullam culpam neque præsumptam commiserint, si lex ante duos menses nullam in conscientia inducit obligationem.

4. Ex his inferitur primò, constitutionem Principis supremi, qualis est Rex, aut Pontifex, ligare subditos, in quorum notitiam deuenire potest, cum primum publicatur, si expressè id in constitutione notetur, quia id lex efficere potest, & nihil est, quod obitet: ita tradit Menoch. lib. 2. casu 185. num. 3. Farinac. alios referens 1. part. fragment. crimin. verbo constitutio, n. 666. iuncto num. 669.

Inferitur secundò, legem municipalem, seu statutum alicuius ciuitatis, non indigere ad obligationem inducendam termino duorum mensium; sed statim ab ipsa publicatione ligare omnes illos in quorum notitiam deuenire potest: quia neque Authentica, vt facta noua constitutiones, de his constitutionibus loquitur, neque iure naturæ tempus aliud requiritur, præter illud, quod necessarium est, vt in notitiam illorum, qui obligandi sunt, deueniat: & ita tradit alios referens Farinacius fragm. crimin. 1. part. verb. constitutio, n. 659. Menoch. lib. 2. casu 185. num. 5.

5. Ad rationes autem, quibus probabat prima opinio leges canonicas in quolibet prouincia publicandas esse, & ultra duos menses a publicatione obligare, vt in Authentica, vt facta noua constitutiones, habetur. Respondeo leges civiles acceptari ab Ecclesia in causis decidendis, quando neque repugnant rationi, neque adfunt canonicæ leges, quibus tales causæ decidi possunt, quia hæc acceptatio erat moraliter necessaria, cum causæ decidendæ aliqua regula decidi deberent, quæ nulla videtur apertior lege ciuili, si canonica deficiat. At in modo ferendi suas leges Ecclesia, non est necessarium, quod ferret modum præscriptum legibus ciuilibus, cum & superiorum auctoritatem habeat & maiorem inter se vitionem; omnes enim fideles vnum corpus mysticum efficiunt, cuius caput est Pontifex: quod non ita esse videtur in Rege diuersa regna gubernante. Ad cap. cum infirmitas, respondeo illam publicationem necessariam esse in illa lege; quia ita cauetur: tum propter penam ibi appositam, tum & præcipue, quia est res summè necessaria, in qua nulla ignorantia debet præteriri: at ex hoc textu non debet sumi argumentum ad reliquas leges: sicut neque sumitur argumentum ex lege irritante matrimonia clandestina, quæ in quolibet parochia debet publicari. Trident. sessio 24. cap. 1. de reformat. vt dicamus omnes leges Pontificias irritantes contractus debere sic publicari. Ad illud vero, quod addebatur, scilicet esse durum obligare fideles per totum orbem dispersos vnica promulgatione, facile responderetur, dicendo, non obligari, nisi intra tempus, in quo moraliter illius legis publicatæ habere possunt notitiam: cum ergo aliqui ante duos menses, alij non nisi post quatuor menses habere legis notitiam possunt, iuxta huiusmodi possibilitatem erit obligatio.

6. Ex quo fit solutio illius difficultatis, an dicendam sit legem obligare ignorantes? Obligat quidem ex te, quando ita est publicata, vt moraliter ad illorum notitiam possit deuenire; per accidens autem non obligat, quia illius notitiam de facto non habent inculpabiliter. Sed, vt melius dicam, ab obligatione tunc ob ignorantiam exculantur. Quando autem lex ita est publicata, vt impossibile sit in omnium notitiam deuenire statim; tunc lex neque ex te ignorantes obligat, quia non adest ex parte eius, quicquid ad obligationem inducendam requiritur. Et ita in concordiam rediguntur Doctores afferentes leges ignorantes obligate, quod asserit Medina 1. q. 1. quæst. 90. art. 4. & Soto lib. 1. de iustit. quæst. 1. art. 4. contra glossam cap. 2. de rebu; Ecclesia non alienand. in 6. verbo, haec tenus Bald. in l. leges sacratissimæ, C. de legibus, Panormitanus, Innocentius, Felinus cap. cognoscens, de constitut. qui affirmabant non obligare, sic in concordiam redigit Suarez lib. 3. de legibus, cap. 18. sine. Azor tom. 1. in iustit. moralium, lib. 5. cap. 3. q. 9. alios referentes.